

XVI. Quemadmodum verò Poëta tradiderunt, Hydram pro uno ab Hercule resecto capite bigam substituisse, ita ut, cum septem antea tantum cervices habuisset bestia, parvo temporis spatio centum cervicibus instructa fuerit: Sic nobis, dum unum atque alterum argumentum Monarchomachorum refutamus, semper binarius aut major numerus rationum sese nobis offert; imò jam post exempla & similia, speciosissimæ rationes demum sequuntur.

c) Quadrantiones.

XVII. Maxima quidem hic nobis occurrit turba, quæ ultimam occasum tristemque ruinam Majestati minatur. Caput agnoscit maximam reverentiam excipiendum, summoque pietatis splendore eminentissimum Patrem Zachariam, Pontificem Romanum, sanctissimum scilicet. Hic Sacharias saccharo quodam specioso virus suum nocentissimum obducit, & scorpii instar venenorum mortem certissimam sub caudam cautè celantis, Francis consilium fucato schemate pictum dat, & abdicationem improbam Childerici approbare, in fausto conatur ausu, dum in *Epistola adhortatoria* ita scribit: *Princeps, ait, populo, cujus beneficio possidet, obnoxius est. Quæcumque enim habet, potentiam, gloriam, divitias, dignitatem, à populo accipit; plebi accepta referat, necesse est. Regem plebs constituit, eundem & destituere potest.*

XVIII. Hunc sequuntur cum infinita colluvione pessimorum Authorum Monarchomachiarum Brutus q. 3. Bucher. L. 1. c. 10. Bellarm. in *Recogn. lib. 3. q. de Laic. Henon. Disp. 2. Pol. num. 6. Magdeburg. in discurs. de jure Magistr. in subject.* dicentes, tale constituentis & constituti esse ingenium, ut constituens potestate præeminenti gaudeat, in suum constitutum. Jam puerili ratione jactant, omnes Reges constitutos à populo. Quare concludunt, superiorem esse populum Principe. Ratiocinantur sic:

Ratio I. O. constituens est superius suo constituto.

Subditi constituunt Regem.

E. Subditi sunt superiores Rege tanquam constituto.

XIX. Resp. 1.) Ad Minorem: Neg. illius universalitatem. Multa enim regna gladio stricto Reges occupavere. Gothi imperii sui Hispanici fundamenta prima posuere ferro, Britannique invitis animis Saxonum imperium acceperunt. Nec Itali adeo lubentes Ger-